



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLXXXII. Differentia 2. Secundùm leges non creditur dicto vnius testis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Secundum leges non creditur dicto vnus testis. *l. iurisiurandi C. De testibus.* Secundum Canones vero aliquando fit. *c. parvulos Dist. 4. c. Cum itaque c. Nemo. De Simon. Bart. q. 1. Io. Bapt. à sancto Blasio. 89.*

COMMUNE dictum est, unus testis proficit, non sufficit: multumque iudicis arbitrio relinquitur, ubi, & quando plures adhibere oporteat. *Fachius. l. 8. c. 16. Menoch. De arb. Casu 99. n. 20.* sunt causæ, quæ plures duobus requirant. *c. Presul. 2. Q. 1. Less. c. 30. d. 4.* nulla tamen est, quæ vnus testimonio quamvis probatissimo decidi possit. *c. Veniens. de test. & attest. c. Licet universis eod.* sed palmare est *Constantini Imper. decretum in l. citata iurisiurandi* ut vnus testimonium nemo iudicium in quacunque causa facile patiatur admitti. Item ut vnus omnino testis responsio non audiatur, etiam si præclaræ Curie honore præfulgeat. Igitur vnus testis nullus testis: nec quamvis omni exceptione maior, ad condemnationem sufficit. *DD. in l. 1. §. idem Cornelio. & l. maritus ff. de quest. Angel. in l. 3. C. ad l. lul. maiest. l. fin. C. famul. herisc. Menoch. de presumpt. l. 1. Q. 89. n. 21. Mascard. l. 1. Q. 15. n. 12.*

II. Sed an generale hoc, nullaque admittat exceptionem? *Minimè.* Nam si Constantinus ipse testimonium solus diceret, an non fidem sibi adhiberi vellet? in illis præsertim, quibus nemini præiudicium timetur. Quamobrem vnus testis attestatio saltem iure Canonico va-

lebit. *Primo* in negotiis, quæ nullius in damnum vergunt v. gr. An Ecclesia hæc consecrata sit, an baptizatus iste infans, & similia. *c. testimonium. de testib. Secundo* quæ seruiunt ad impediendum peccatum, absque alicuius punitione. *Tertio*, quæ valent ad matrimonium, ne fiat, impediendum. *c. 2. De sponsalib. Navar. c. Sacerdotes. de penit. Dist. 6. Silvest. v. Testi. Q. 5.* Nec mirum, si in prædictis etiam sola fama sufficit, ut in *Differ. preced.* ostensum est. *Quarto* etiam in causis, ubi de punitione agitur, si testis magnæ auctoritatis sit, puta, Pontifex, Imperator, Cardinalis, saltem ex usu, & consuetudine Curie. *Quinto* in causis regularium, quando de correctione agitur, non criminum, sed delictorum, aut defectuum, quorum emendatio ad regulæ obseruantiam, & scandala tollenda requiritur. *Roder. Tom. II. Q. 10. art. 5.* Denique ad probandam possessionem vnus testis affirmationem sufficere multorum opinio fuit, eò quod modici præiudicij sit possessio ex traditis per *Bartolum ad l. 1. C. Quorum bonorum.* De qua consultanda ait *Fachinus l. 8. c. 16.* non tam laborandum videtur, quam metuendum, ne illam sequamur ob multitudinem Auditorum. Non est modici præiudicij possessio,